

Datum Wratislaviae sub sigillo nostro pontificali die prima Marcii anno domini millesimo CCC^{mo} LXX secundo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Patriarchen an grüneisidnem Bande.

No. 369. 1378. 25. Nov.

Br. Borchard, Minister der Minoriten der sächsichen Provinz befiehlt dem Custos der Meissner Custodie zu untersuchen, ob in den Klöstern seiner Custodie gewisse Statuten, Beschlüsse, Regeln u. s. w. vorhanden, diese alsbald zu beschaffen u. a. m.

Dilecte noster in Christo custos Misnensis. Dilectioni vestrae praesentibus iniungo per obedientiam salutarem, quatenus informetis vos, si in singulis conventibus custodiae Misnensis plene et in pergameno colligata sint statuta infra scripta, papalia domini Benedicti duodecimi generalia in Assysio edita, domini Wylhelmi praecipue septem capitula, prima generalia domini Bonaventurae, in quibus ponuntur capitula quae pertinent ad statuta domini Wylhelmi antedicta, acta Pyzani, Florentini, Januensis, Argentinensis, Neapolitani, Tholosani, Aquilensis generalium capitulorum, statuta provincialia quae incipiunt ‚custodes‘, acta capituli provincialis per patris nostri generalis ministri vicarium anno domini M^o.CCC^o.LIIII^o. in Hallis in festo sancti Michahelis celebrati, nec non acta capitulorum scilicet novissime in Magdeburg habiti et convocationis in Hallis in festo sancti Nicolai habitae et ultime in Magdeburg in festo sancti Bartholomei et capituli Curiensis et capitulorum bonae memoriae praedecessoris mei Stendalensis, Erfordensis, Vribergensis declarationes et regulae, et regulam ante festum penthecostes et libros mortuorum pro singulis conventibus sub eiusdem districcione praecepti citius ut potestis comparetis, et videatis si singuli conventus habeant perfectum ordinarium notularium et datarium, et quodcunque de omnibus et singulis praedictis defecerit praecipio vobis per obedientiam, quod illa in legibili littera ante festum penthecostes praedictum comparetis ut dictum est in pergameno colligata. Si autem in aliquo conventu quod absit non esset datarius, in quo festa per circulum anni ante pretiosa pronuntiantur et sunt pronuntianda, vel notularius vel ordinarius, in quocunque istorum fuerit defectus, sine dilatione teneamini comparare obedientiam per eandem. Districte etiam vos hortor, ut in singulis conventibus inventarios ubi non fuerint indilate procuretis et concedo vobis, quod pro praedictis comparandis recipere possitis de obventionibus undecunque obveniant vel offerantur, et volo quod copiam sigillatam inventariorum sigillo conventus sigillatorum et sigillo gardiani inter acta custodiae diligenter reservetis et statuta saepedicta in praesentia vestra aliquando in refectorio legi faciatis, nihilominus legi debeant quotiens generalia capitula ea statuerunt esse legenda et gardianos compellatis, quod intersint quando statuta fratribus leguntur. Diligentem etiam habeatis sollicitudinem de sigillo cuiuslibet conventus, quod sit clausum sub speciali clausura trium serarum et gardianus pro una sera clavem habeat et duas alias claves divisim duo computistae, et mandetis gardiano et computistis, quibus et ego praesentibus mando per